







I. N. R. I. F.



ERGO denuo festum annuncio seculare? Ergo semper panegyrista iobelaeus? Ne mihi uitio uertatis testor, et hoc me confido impetraturum, quod post PHYSICAE RESTITVTORIS MAGNI TORRICELLII SECVLARIA, ^{a)} iterum, et his temporibus, sed qualibus! LAETIFICOS indicare audeam SERMONES. Instat nempe NOX a TERTIO ad QVARTVM SEPTEMBRIS, ubi incomparabilis inuicti animi sublimitas ^{b)} IMMORTALEM BIGAM FILIORVM COELI excitabat, quae VRANIAE templo, labascenti omnino, ac proximam minitanti ruinam, nouum suppeditaret fundamen. Vt mos est seculi, et cui forte ipse aliquando non omnino non indulgeo, non nemo paullo uiuacioris, an petulantioris? ingenii, exclamaret: en, alii diem, an tu NOCTEM celebraturus IOBELEAM? Non nego. Et quo aliis ansa iocandi praeripiatur, ipse omnium primus annuncio MAGNAE gaudia NOCTIS, quando

*Summa mox Titan iuga stringens
Orto uincet noctem die. ^{c)}*

Thus adoleant alii ob FVLGIDISSIMO IVBARE coruscantia heroum facta suorum. Nil contra dico. Sed et haec aliquando performidatae


A 2

igno-

^{a)} Ediderunt Itali, Venet. 1745. et R. P. COLOGERATI Tomo XXXII. Raccolta etc.

^{b)} PLIN. Hist. Nat. VII. Cap. XXV. (Sect. XXVI. Tom. I. pag. 388. lin. 18. 19. HARD. 1723.)

^{c)} SEN. Troad. 169.



ignorantiae, ceu NOCTIS DELIQUIVM patientur TOTALE cum
MORA INGENTI. Ego, non tam alte uolans, ECLIPSIN modo LV-
NAE annuncio.

*Video Triuiæ currus agiles,
Non quos pleno lucida uultu
Pernox agitat. Sed quos facie
Lurida moestans monstrat rubida.
Huic florilego cespite sacrum
Solenne damus. Huic de medio
Rapta sacretur palma triumphî. d)*

Amassii enim VRANIAE, quibus historia altisoni studii sui non plane
ignota esse assolet, lubentissime concedent, iure summo NOVAM quasi
EPOCHAM REVIRESCENTIS ASTRONOMIAE a CELEBRI nostra
fumendam ECLIPSI LVNARI. LVCEM ecce! peperit, nunquam satis
honorifice et grauitè prædicandus hicce DIANAË DEFECTVS; hic
suo SPLENDORE ASTRONOMIAE dispellens ECLIPSIN,

*Aurea ceu fulget roseis aurora capillis,
exorientem iamiam annunciauit APOLLINEM.*

FLOREBAT tunc unicus quasi COELORVM ATLAS, GEORGIVS
PEYRBACHIVS, non PVREACH; e) Austriacus, haud Bauarus.


Hoc

d) *Med. 787.*

e) Vno hic dabo conspectu diligentissimos auctores, qui nobis, quae uitam
DVVMVIRORVM illustrent, larga satis collegerunt manu, ac e quorum
scriptis has complere biographias non difficile fuisset. Nos uero non
MAGNORVM HORVM ASTRONOMORVM, sed OBSERVATAE ab IPSIS
ECLIPSEOS, et inde FELICIS RESTITVTIONIS AVGVSTVM INITIVM
CAPESSENTIS ASTRONOMIAE SECVLARIA cantare constituimus, quod
hic semel pro semper monuisse sufficiat, ne quis nostrorum expectet
HEROVM uitas. Sunt ergo

ERASMVS REINHOLD, Salfeldensis, Mathematicum Professor, in renunciatione
gradus magisterii philosophici, oratione sua de IOANNE REGIOMON-
TANO. Extat Tomo III. *selectarum declamationum* PHIL. MELANCH-
THONIS, Argentorati 1562. 8. a pag. 239 255.

PETRVS GASSENDVS in nostrorum uitis, post eas TYCHONIS BRAHEI et
NICOLAI COPERNICI, a pag. 55-100. Paris. 1654. 4. m.



Hoc ultimum praecipue euicit laudatus in nota III. a KHAUZ,
de hac nostri patria narrans, municipium esse cum arce, nullatenus pa-
gum. *ſ*) Porro ex INSPRVGGERO: *ſ*)

A 3

„Maiori

I. G. DOPPELMAYER *Historische Nachricht von den Nürnbergischen Mathe-
maticis und Künstlern*, Norib. 1730. fol. a pag. 1-23. Hic solam RE-
GIOMONTANI, ut

III. FRANZ CONSTANTIN FLORIAN a KHAUTZ *Versuch einer Geschichte
der Oesterreichischen Gelehrten*, Frf. et Lips. 1755. 8. m. a pag. 33-57. so-
lam PEVRBACHII biographiam nobis dedit.

Horum quasi auctoritate et diligentia unice nitendum. Quamuis enim
RICCIOLO in chronicis ante *Almagestum*; G. I. VOSSIO in libro de
uniuersae matheos natura et constitutione etc. Amst. 1660. 4. (opp. Tom. III.)
amicissimo nostro WEIDLERO in *Historia astronomiae*, a pag. 298-303.
qua PEVRBACHIVM, a pag. 304-322. qua REGIOMONTANVM; et IO.
CHRISTOPH. HEILBRONNERO in *Hist. matheos uniuersae*, Lips. 1742. 4.
debitas laudes referri par sit, parum tamen habent, quod non praedicti
quatuorui iam monuerint. Quoniam hos circa uersamur auctores, er-
rorem mere typographicum b. m. WEIDLERI notare liceat, ubi p. 321. I.
REGIOMONTANVM nostrum celeberrimam suam orationem, praelectio-
nibus in ALFRAGANI rudimenta praemissam, habuisse dicit 1468, cum
1463. pronunciauerit, id quod pag. 306. XVI. iustis omnino numeris
ipse posuerat. Dein quando p. 300. GASSENDVM citat testem, PEVR-
BACHII *theorias* Noribergae 1460. primum a REGIOMONTANO typis
impressas, id in GASSENDO nullibi extat. Hoc dicit 1460. ad finem
perductas theoricas, pag. 64, quod eo anno impressae, nullibi. Immo
per se impossibile. Nam non nisi 1471, undecim ergo annis tardius,
cum B. WALTHERO typographeum ibi extruxit. Parcius, scopus enim
aliter non ferebat, magnifice tamen, efferunt PVVMVIRAS nostros Ma-
gnus CASSINI de *l'Origine et du Progrés de l'Astronomie* pag. 23. edit.
du Louvre, fol. dans son recueil 1693.

Ouvrages adoptez Tome V. pag. 28.

FLAMSTEED in *prolegomenis ad stellarum fixarum catalogum*, pag. 34, 35.
Tomi III. *Historiae coelestis Britannicae*, edit. ult.

R. HEATHCOTE p. 30. *Historiae astronomiae*, Cantabr. 1747. 8. m.


f) Haec pag. 45. pro corrigendo Cl. Abbate RENAUDOT *Mem. de l'Acad. R.
des B. Lett.* Tomo 1. pag. 22. edit. du Louvre 1717. 4. m. ubi tamen
Gallus habet *Bourg*, non *Village*. Quantumuis ab indicandis aliorum
lapsibus alienus esse soleam, quaedam nilominus sphalmata in erudi-
tissima ista dissertatione notare, nullo certe corrigendi pruritu, liceat.
Page 21. 22.

„En 1270. ALPHONSE - fit dresser ses tables.

„Il les fixa pour l'an 1251. et 5. mois.

„Son principal disciple fut GEORGE MÜLLER.

JEAN MÜLLER.



„Maiori uenustate caput e ruinis extulit PEVRBACHIA, quas anno
 „1626. a rusticis illatum incendium caussauit. Alteram, quam ultimi
 „belli baurici tempore perpeffa est, cladem hodiedum fenit, cum
 „bonis a milite direptis 15. florenum millia in perditis numerauit.
 „SCHAVMEVRGICIS, quod constat, COMITIBVS, primum, subinde
 „STAHREBERGIIIS, HOCHENFELDIIS, VERDENBERGIIIS, KAV-
 „THIIS, SINZENDORFFIIS, ac denique STRATMANIIS paruit;
 „a qua ultima familia maioratus iura obtinuit, quae hac tempeffate ad
 „BATHIANAM PROSAPIAM, matrimonii cum STRATMANIANA
 „HAEREDE initi titulo sunt translata.

ISTVD prius, quod PEVRBACH tutius scribatur, debeo huma-
 nissimis humanissimi huius VIRI ad me datis literis, ubi monet:

„In oratione laudata REINHOLDI, scribe PEVRBACHIVM. Non
 „enim erat Hungariae filius, in qua reperitur oppidum PVRBACH,
 „teste optimo nostro arithmetico practico MAYERO, *Rechenſchul* pag.
 „252. qui id ponit circa EISENSTADT et OEDENBURG.

HOC eruditissimum responsum alius VINDOBONENSIS AMICI
 beneuolentiae refero, id mihi conciliantis. Est is Ill. A SCHEYB,

PALMIGERAM *cantans* THERESAM *laurifer ipse*.

Huius suauis laboriosas istas ad me exarauit ALTIVOLANTIS POETAE
 AVVNCVLVS, qui in uitis suis a pag. 34. GEORGII CALAMINI ele-
 gantissimos hendecasyllabos repeti curauit, sub titulo: IN VVLCANVM.
 Occasione incendii circa 1580 arcem et bibliothecam, tunc STAHRE-
 BERGI, infausta flamma deuorantis.

ATLAS

„Il mourut en 1469. agé de 33 ans.

„Il mourut en 1476. agé de 40. ans, un mois.

Page 23. „Depuis l'an 1500. JEAN BIANCHINI, Ferrarois ou Modenois.-
 RICCIOLI page XXXVII. de son chronicon, le dit, Bolognois, et parle
 en homme, qui le fait à n'en pouuoir douter. Là il corrige BLAN-
 CANVS, qui l'auoit aussi mis, depuis l'an 1500.

Mais page 17. Mr. l'Abbé RENAUDOT dit: „Le commencement de l'E-
 „poque Géralécenne fut fixé à l'entrée du soleil dans le belier l'an de
 „Hegire 467. J. C. 1074. et 1075. parceque l'année arabique commen-
 „çoit au 26. d'Aouft.

„Il me seroit fort mal, d'être perpetuellement au qui vive avec le CÉLE-
 BRE ABBÉ, poutant je parie que cette Epoque commença en 1079.

2) Austria mappis geographicis distincta etc. Viennae 1727. 1728. uol. 2. 8.
 pag. 31. 32. Partis II.

ATLAS ergo noster GEORG A PEVRBACH, ex anno iam 1451
HERCVLEM LVSTRATOREM ORBIS ^{b)} IOANNEM nimirum RE-
GIOMONTANVM ⁱ⁾ in societatem SYSTINENDI OLYMPI afsiciuerat.
HI AMBO

Cara Deum soboles, magnum COELI INCREMENTVM,


ex dicto tempore uniti, annis equidem 13 impares, applicatione tamen ad studia, ut quacuis, sic praecipue astronomica, inuisito zelo, candore summo, incredibili animorum harmonia, ac amicitia, nostro quo degimus seculo, ad mythologiam fere ableganda, tam eleganter conspiciabant, tam perpetuo sibi frondescentes adepti palmas, ut, si unquam alii, mererentur, quorum honestam uitam, ac HERCVLEOS in coelo uinciendo labores uel in minimis uitae euentibus ad feros posteros usque propagaremus. Sed cum magna omnino diligentia in hoc stadio VIRI nota ^{c)} citati iam diu laborauerint, aliorum quantumuis deueneranda scripta aliis typis denuo mandare, a quolibet quasi correctore praestari queat, ac libri isti haud ea sint raritate, qua non a quolibet MVSA-
RVM alumno commode satis perlegi possint: a me haud impetrare potui, ut, facillimum id factu, post tot eruditissimorum hominum lucubrationes ego non indiligentis compilatoris munere fungerer. AMICOS potius adii DEVENERANDOS, SYMMOSUE VIROS, ut forsitan ex sermionibus hinc inde talia mecum communicarent, quae nondum a TRITHE-
MIO ac PAVLO IOVIO promulgata.

PRIMVS respondebat Ill. A KHAUZ 5 Iulii, ea excerptam, quae minus nota uideantur. Sic infit:

» Ne mireris — me — symbolam quandam pro SECVLARIJBVS
» ASTRONOMIAE tibi obtrudere uelle. Quum enim nuper ad SCHEY-
» EIVM auunculum meum literas dares, quibus mentem tuam exponere,
» res, ille uero nosset, me his deliciis aliquando curatiorem nauasse
» operam,

^{b)} Sic eum APVLEIVS Apologia pag. 441. lin. 9. edit. in usum DELPHINI 1688. Tom. II. 4. m. Nonne REGIOMONTANVS longe meliore iure LVSTRATOR ORBIS?

ⁱ⁾ Quod eius nomen IOANNES MÜLLER; quod pro genio seculi, ceu GEORGIVS, ATLAS suus, a Patria, PEVRBACH, sic ipse a KOENIGSBERG, REGIOMONTANI appellationem sumferit; quod iste REGIVS MONS non Borussiae, sed FRANCONIAE ORIENTALIS, et quod tandem placidam obdormiens mortem in ipso Pantheo sepultus, id toties iamiam impressum, ut hic, uel tetigit modo, nimum sit.



„operam, totam illam rem mihi commisit. Ego sancte affirmo, nihil
 „euenire mihi potuisse iucundius, quam cum uiderem occasionem ena-
 „tam, ad memoriam MAGNI illius REGIOMONTANI quaedam con-
 „ferendi, cuius praeceptoris, PEVBACHII scilicet, uitam iam ante
 „aliquot annos enarrare institueram *in dem Versuche einer Geschichte der*
 „*Oesterreichischen Gelehrten*, ut adeo HI EGREGII ASTRONOMIAE
 „PROMACHI laudibus condignis extollerentur. Sed utinam alio tem-
 „pore! Interim hic ea de REGIOMONTANO cape, quae uariis distra-
 „ctus occupationibus ex bibliothecis nostris Vindobonensibus contexere
 „potui, quaeque si cum GASSENDI et HEILBRONNERI scriptis
 „contenderis, non plane displicebunt aut inutilia erunt. Nec plura
 „forte ex his obscuris temporibus erues. En ordinem, quo obserua-
 „tiones meas communico!

„PRIMUM fideliter exscribam uerba ex oratione ERASMI REIN-
 „HOLDI de I. REGIOMONTANO, quod ea narratio fide dignissima
 „sit, cum ipse REINHOLDVS se fateatur, eam partim ex scriptis IO-
 „ANNIS nostri, partim ex sermone IOANNIS SCHONERI collegisse.

(REGIOMONTANVS ad superos abiit 1476. Amicissimus IPSI
 WALTHERVS 1504. IO. SCHONER natus 1477. Hic proin
 per 27 annos WALTHERO coaeus omnia ab eo audire debebar,
 quibus orationem suam subnitidaret diligentissimus AVCTOR
 PRVTENICARVM. B.)

„Extat ea inter declamationes PHIL. MELANCHTHONIS a IO.
 „RICHARDIO Argentorati editas in 8. Tomo I.

(Haec ergo plane diuersa ab ea qua ego utebar, quamuis in idem
 Argentoratensis sit. Paginae enim 611-613, amico meo citatae,
 in mea sunt pagg. 247, 248, 250. illi tomus I, mihi III. B.)

„DEINDE tibi genuinum catalogum operum REGIOMONTANI,
 „prout ipse eum in uiuis edidit, exhibebo.

(Legitur iam in GASSENDO, DOPPELMAYERO, WEIDLERO. B.)

„VEIQVE appingam meas glossulas, quibus, et HEILBRONNERVM
 „supplebo. Tu in alios usus uertas ---

„Hic attende, hos DVOS, annis quidem, non tamen scientia, iuue-
 „nes MATHEMATICOS, ubique quaesuisse loca, quibus *μετεωροσκο-*
 „*πικην* exercere possent, ideoque etiam MELLICVM Austriae delapsos
 „esse

„esse, MELCK, 12. leucis VIENNA, ubi HOC TUO ANNO IOBELAEO,
 „procul dubio IN AMOENISSIMO MONTE, CUI COENOBIVM
 „ISTVD CELEBERRIMVM ORDINIS STI BENEDICTI INAEDIFI-
 „CATVM, HAS INSTITVEBANT OBSERVATIONES NYNC tibi
 „SECVLARES.

(ERVDTISSIMORVM PATRVN ILLVSTRIS HIC CONVEN-
 TVS *im Viertel Ober-Wienerwald*, ad ostia fluvii BIELACH,
 DANVBIVM subinfluentis. B.)

Pag. 611. REINHOLDVS sic: „Comitatur igitur REGIOMONTANVS
 „BESSARIONEM redeuntem in Italiam, cum iam iam non procul ab
 „anno aetatis 30. abesset.

„(Fuerat vero 1461, quo CARDINALIS rediit annos 25. natus
 „III. A KHAUTZ.)

Pag. 612. „Peragrata Italia rediit VIENNAM,^{k)} — — — eo tempore
 „EPISCOPO STRIGONIENSI *tabulas directionum* conscripsit.


„Hae impressae sunt AVGVSTAE VINDELICORVM arte ERHARDI
 „RATDOLT 1490. 4.

(MAITTAIRE. I. 527. B.)

„et Magistri IOANNIS ANGELI diligenti correctione sub hoc titulo:
 „*Tabulae directionum profectioinumue* FAMOSISSIMI VIRI MAGISTRI
 „IO. GERMANI de REGIOMONTE *in natiuitatibus multum utiles.*
 „Dicuntur in fine: pro REVERENDISSIMO DOMINO IOANNE
 „ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI compositae An. 1467.^{l)} Eas
 „postmodum ibid. 1551. 4. 6. Alph. 5. pl.

(Immo 7. Alph. 10. plagg. uasta nempe introductione computata.
 Nostro aeuo uix equidem amplius adhibentur. In SUMMI tamen
 ARTIFICIS nostri honorem notabo editiones in mea bibliotheca
 obuias 1) Tuingae 1550. 4. 2) Ibidem, 1554. cura REIN-
 HOLDI, multo auctiores, omissa tamen REGIOMONTANI ad
 IOANNEM STRIGONIENSEM dedicatione, et substituta REIN-
 HOLDINA ad ALBERTVM Brandenburgensem. Dicantur tem-
 pore, huic nostro non absimili, et nimis eleganter quadrant in
 B casus

k) et l) Haec REINHOLDI simul constare non possunt. *Viennam* rediit 1468.
 iam ad finem uergente. Quod si *tabulae* compositae 1467. ergo non
 postquam peragrata Italia *redierat* VIENNAM. B.)




casus-nostros, quae ex SENECA Agamem. 64. canebat SALFELDENSIS, quam ut a LIPSIENSI non cum triumpho repetantur:

*Non sic libycis Syrtybus aequor
Furit, alternos uoluere fluctus,
Non Euxini turget ab imis
Commota uadis unda niuali
Vicina polo - - -
Ut praecipites Regum casus
Fortuna rotat.*

3) LEOVITII a LEONICIA, citanda modo. 4) Alia REINHOLDINA, in qua dedicatio ista ad Brandenburgensem omissa, Witteb. 1584. 4. B.)

» cum REGIOMONTANI tabula sinuum CYPRIANVS LEOVITIVS
» a LEONICIA ad varias Europae regiones extensas et uarie adauctas
» edidit, cum MELANCHTHONIS et propria praefatione ad FRATRES
» FVGGEROS. Ipse uero REGIOMONTANVS in dedicatione ad IO-
» ANNEM ARCHIEPISCOPVM haec: *Quantam et quam strenuam curam*
» *habeas condendi studii generalis conclamatum iam pridem esse arbitror,*
» *cum ex uniuersis literatorum consortiis omnium professionum doctissimos*
» *quosque uiros accersire soleas, officio fretus regii cancellarii supremi, cui*
» *cocepto felicissimo me quoque Vienensis collegii alumnium quantumcunque*
» *adesse uoluisti, docturum uidelicet quadrumiales facultates. Venienti igitur*
» *uoluntatique tuae morem gesturo mihi imprimis id mandati dedisti, ut*
» *tabulas quasdam directionum componerem, eas itaque primitias operum*
» *meorum suscipere digneris, quas ubi pro acumine ingenii tui probaueris in*
» *publicum prodire iubeto. ARCHIEPISCOPVS ILLE mortuus est 1489.*
» 15. Dec.

» Pag. 613. Ephemerides annorum 30. immo 32. corrigit AMICVS.
» In binis indicibus, alienorum, et opificis tentatorum, ad
» KALENDARIVM NOVVM, quo promuntur coniunctiones uerae at-
» que oppositiones luminarium, itemque eclipses eorundem figuratae.
» Loca luminarium uera quotidie. Horarum tam aequinoctialium quam
» temporalium discrimina duplici instrumento ad quasuis habitationes
» ac alia plurima scitu iucundissima, addit Ill. A KHAUTZ. uidi id hoc
» titulo: Kalendarium Magni IOANNIS DE MONTEREGIO VIRE
» PERITISSIMI. 7. philyris. 4. ERHARDI RATDOLT, uiri folertis
» eximia



„eximia industria et mira imprimendi arte, qua nuper Venetiis: nunc
 „AVGVSTAE VINDELICORVM excellit, nominatissimus. 1492. In
 „adversa pagina prima hoc elogium:

„Aureus hic liber est, -- etc.

(De hoc nonnulla in *otii Wittembergensibus* pag. 25-27. cui for-
 san iungi possent, quae post ista edita inveni in IAC. BARTSCHII
planisphaerio stellato praefat. ***, col. a. Norib. 4. Exemplar
 meum, augustum, quod procul dubio in folio ut dicunt plagula-
 rum foret 15. Loco ultimi distichi in titulo meae editionis:

Quod Veneta impressum fuit in tellure per illos

Inferius quorum nomina picta loco

1476.

Bernardus Pictor de Augusta

Petrus Loslein de Langencen

Erhartus ratdolt de Augusta B.)

„erat in codice doctissimi a KHAUTZ:

„Idque Augustensis RATDOLT impressit ERHARDVS

„Formandi mira qua ualet arte sua.

(Dresda alius AMICVS descriptionem communicauit alius editio-
 nis, sed formae multo minoris quam mea 1476, cuius titulus:

In laudem operis Calendarii a Joanne	} Literis rubris.
de montaregio germanorum decoris nos	
stre etatis astronomor. principis editi Jaz	

cobi Senini Ricimensis carmina.

Anno 1514.

ex officina Petri Liechtenstein.)

„Ephemeridum opus Ill. a KHAUTZ uidit sine titulo. In fine: Expli-
 „citum est hoc opus anno Chr. Dom. 1474. ductu IOANNIS DE
 „MONTE REGIO, etc. sine dubio prima editio. Continent uero
 „annos 1475-1506. Eas continuauit usque ad annum 1531. Io.
 „STOEFLERINVS Iustingensis, et IACOB PFLAVMEN Vlmae 1499. 4.
 „Inde uero conicio Theoricarum planetarum PEVBACHII uix ante
 „1474. ex officina MÜLLERI prodiisse, cum hae ephemerides primae
 „forte typos exercuerint ex narratione REINHOLDI. Inde corrigent-
 „dus ego p. 46, ubi GASSENDVM fecutus.

(Licebitne hic dubium quoddam proponere? MAITTAIRE
Annal. I., 681. adducit:

Almanach perpetuum, siue Ephemerides planetarum perpetuae,
 apud PETRVM DE LICHTENSTEIN, Venet. 1498. 4. gothic.

IO. REGIOMONTANI *Ephemerides* incipientes ab anno 1473.
 ed. IO. LVCILIO SANDRITTER. Venet. 1498. 4.


Est mihi liber: *Ephemerides* siue *Almanach perpetuum*, Venet. 1498.
 4. gothic cum praefatione IOANNIS LVCILII SANDRITTERI,
 ubi REGIOMONTANVM auctorem fatetur. Cumque MAIT-
 TAIRE diuersos, unde haec hauserit, citet fontes, uix dubito, unum
 esse librum eundemque. Non sine admiratione uideres, quod in
 hoc codice, post certas periodos, omnes 7. planetas eosdem re-
 petere Ephemeridum numeros credat auctor. Audaci uere assump-
 tione. POPE Britanniae uates statuebat olim, OMNES heroes
 Martis, a STULTO MACEDONIGO ad STULTVM usque GO-
 THICVM, eiusdem circiter fuisse temperationis, audaciaeque.
 Meliorem in partem nos conuertamus. VICTORYM in studio
 astronomico ego fere noui neminem, ab harum Ephemeridum
 perpetuarum editore, ad CASSINI usque aeuum, qui eadem
 Diaria denuo pronunciarit inseruitura. Profundissimus enim hic
 PERINALDI Astronomus, dans les Elements de l'Astronomie veri-
 fiés par les Observations de Mr. RICHER en l'Isle de Caienne, §. XV.
 p. 15. Paris 1684. fol. au Louvre, ou page 97. Tome V. des Ouvra-
 ges adoptez par l'Académie, incredibile ingenio ephemerides solares
 ad meridianum Bononiensem anno 1663. absolute fore eadem ad
 meridianum Caiennae 1672. demonstrauit.

SIC ET libelli mei sicut literis gothicis:

Almanach noua plurimis annis uenturis inservientia: per Joannem
 Stoefflerinum Justingensem, et Jacobum Pflaumen Ulmensem, accu-
 ratissime supputata: et toti fere Europa deo sydere parata.
 Cum Privilegio. In fine: Petrus Lichtenstein. Dic. 3. Ianuarii.
 anno M.D.V.I. Venetiis.

1508
 cum sphaera nigra fundo rubro, et alternatim rubra fundo nigro.
 Post dedicationem binorum auctorum, sequitur IOANNIS DE
 MONTEREGIO Germanorum decoris, etatis nostre astronomor.
 principis -- in Ephemerides commentarium 2. quaternionibus.

Canon



Canon de domibus celi fabricandis, uno sexternione, unoque
quinternione columna eius ultima:

Laus sit nato dei celi terraeq; rectori.
Laus tibi sit Christe quem liber explicat iste

* * *

Petrus Liechtenstein

Coloniensis Germanus: ad commune bonum et com-
modum: iterum impressit diaria celestium motuum:
a. clarissimis nostris Germanis edita: & novo q;
emendatissime prodeant in oras. Anno Virginei
partus. 1506. die. 3. Januarii: Sub hemispherio
Veneto finem inposuit. Maximiliano Romanor-
rum Rege primo faustissime imperante.

* * *

Hinc perpetuis septernionibus ephemerides ab anno 1514-1531.
inclusivae, cuilibet anno septernione tributo, columna penultima
in fine:

* Contigimus portum quo modo cursus erat *
Hic teneat nostras ancora jacta rates

* * *

B.)

Pergit Ill. a KHAUTZ: „Tabula magna primi mobilis cum usu multi-
„plici, rationibusque certis. Haec edita est primum Viennae 1514. V.
„pag. 51. 52. opusculi mei, sine tamen praefatione, quae cum hoc
„opere extat in Bibliotheca WINDHAAGIANA, ad SERENISSIMUM
„PRINCIPEM ac CHRISTIANISSIMUM PANNONIARVM REGEM
„MATHIAM directa.

* * * * *

ADIERAM praeterea Per-Illustrem Si Ri. Ii. L^m. Bem. DE SWIE-
TEN, SS. AVGVSTORVM Archiatrum Primarium, Bibliothecae
Caesareae Directorem, Consiliarium Imperatorio Regium, et unum ex
VIII. extraneis Academiae Scientiarum Regiae Parisinae adscriptis,
Virum et fama, et meritis, sed et urbanitate ac inferuendi studio emi-
nentem, qui, qua est animi alacritate, his d. 7. Iulii respondebat:

B 3

„En!

„En! quae Eruditissimus noster FORLOSIA in tui gratiam ex-
 „cepit. His utere — — Habemus in nostra bibliotheca AVGVSTA
 „multa opuscula manuscripta GEORGII PEVBACHII et IOANNIS
 „DE MONTEREGIO, quae omnia cum aliis eorundem operibus typis
 „edita sunt plus uice simplici. Haec inter legitur liber sub hoc titulo:
 „Tabulae eclypsum magistri GEORGII PEVBACHII. Tabula primi
 „mobilis IOANNIS DE MONTEREGIO. Indices praeterea monu-
 „mentorum, quae clarissimi uiri studii Viennensis alumni in astrono-
 „mia et aliis mathematicis disciplinis scripta reliquerunt, quae etc.

(Plura addit Ill. a KHAUTZ, pag. 52. limatissimi sui scripti. B)

„Ac ad finem: Absolutum est hoc illustre opus tabularum eclypsum et
 „primi mobilis arte et industria solertis uiri IOANNIS WINTEREVR-
 „GER anno Christi 1514. idibus April. elimatum denuo et recognitum
 „summa cum diligentia a GEORGIO TANNSTETTER, collimitio ar-
 „tium et medicinae doctore, nec non astronomicae rei professore or-
 „dinario Viennae Austriae IMPERANTE INVICTISSIMO ROMANO-
 „RVM IMPERATORE MAXIMILIANO. CAES. AVG. P. P. P. in folio.

NB. In edito hoc exemplari in folio 3. legitur dedicatoria epistola:

„Praestantissimo Viro D. THOMAE RESCH, Philosopho, Poetae,
 „Theologo; et ecclesiae cathedralis Viennensis Canonico GEORGIVS
 „TANNSTETTER collimitius Lycoripensis artium et medicinae Doctor,
 „studiique universalis Viennensis in astronomia professor ordinarius.

„(In hac epistola legitur:)

„Tibi THOMA compater doctissime. Eras enim antea, cum
 „bibliothecae facultatis artium praefectum ageres, nobis in faciunda
 „exemplaris copia, quo ad hanc editionem potissimum usi sumus, per-
 „quam sedulus adiutor. Proinde cum ANDREAM STIBORIVM prae-
 „ceptorem adeo ames — etc. suscipe igitur praestantissime THOMA iam
 „primum praelo excusas tanti mathematici tabulas, quas IOANNES
 „DE MONTEREGIO auctoris discipulis (dum in humanis fuit) WA-
 „RADIENSI EPISCOPO dicauerat, et WARADIENSES TABVLAS ap-
 „pellauit, quas laboribus hercle non paruis reuisas et emendatiores fa-
 „ctas emisimus sub tuo nomine — — breuissimum catalogum erudi-
 „tissimorum mathematicorum, quos uetustissimum Germaniae Vien-
 „nense gymnasium summo cum honore et immortalis gloria aluit, cum
 „hisce,

„ hisce, quae scripsere hisce literis subnectendum duxi. – Viennae Austriae
 „ VII. Idus Ianuarias a Chr. supra sesquimilesimum decimo – quarto.

„ Igitur sequenti pagina legitur:

„ Viri mathematici, quos inclitum Viennense gymnasium ordine
 „ celebres habuit:

„ I. HENRICVS DE HASSIA germanus, uir undecunq[ue] doctif-
 „ simus ex uetustissimo Parisensium studio primus omnium mox a pri-
 „ maena nostri studii Viennensis fundacione theologiam, astronomiam
 „ et alias artes nobilissimas inuexit. Scripsit theoricas planetarum, et
 „ alia quaedam in astronomia – obiit anno Chr. 1397.

„ II. IOANNES DE GMYNDEN anno Christi 1406. in liberalium
 „ artium et philosophiae magistrum Viennae promotus astronomiam
 „ docuit etc. moritur 1442.

(III. A KHAUTZ pag. 27-32. B.)

„ III. GEORGIVS EX PEVRBACH, in limitibus Bauariae et Au-
 „ striae natus. Artium et philosophiae magister, studii Viennensis in
 „ collegio ciuium collega, Praeceptor Viennae nouus, astronomiae in-
 „ staurator. Floruit IMPERATORE FRIDERICO TERTIO, ARCHI-
 „ DVCE AVSTRIAE, qui a praefato DNO. IMP. et SIGISMYNDO,
 „ ALTERO ARCHIDVCE AVSTRIAE, annuo est donatus stipendio –
 „ mortem obiit nondum quadragenarius anno Chr. 1462.

(Scribendum procul dubio 1461. B.)

„ sexto idus Aprilis in ecclesia cathedrali Viennae hoc sibi inscripto
 „ epitaphio sepultus:

„ Extinctum dulces quidnam me fletis amici,
 „ Fata uocant, Lachesis sic sua fila trahit.
 „ Destituit terras animus, coelumque reuifit,
 „ Quae semper coluit: liber et astra colat.

„ Scripsit hic CELEBERRIMVS VIR uaria opuscula et praeclarissima,
 „ sed quae ad nostram notitiam peruenerunt diligentia D. ANDREAE
 „ conquisita sunt.

„ Theoricae enumerantur ad uiginti.

(III. A KHAUTZ pag. 46-49. computat XIX. cum ista 1460.
 forte nunquam impressa extet. Vigefimam iungo e libellorum meo-
 rum

rum supellectile Bas. 1596. 8. reuera diuersam ab ea, quae ibidem 1569 et 1573. prodiit, et quas itidem habeo. Immo et uigesimam primam cum commentario REINHOLDI, Witteb. 1601. 8. Vigesimam secundam, sed ordine omnium PRINCEPES, docuerat cum MAITTAIRE I. 527. tum III. a KHAUTZ in ipsissimis istis literis, ubi: „Primum prodierunt theoricæ cum IO. DE SACRO-
 „BVSTO opusculo Venetiis, mandato et expensis nobilis uiri
 „OCTAVIANI SCOTI, cuius Modoetiensis, anno 1490. quarto
 „nonas Octobris 4. sub titulo: *sphaera mundi*. A SACROBOSCO,
 non a SACROBVSTO scribendum, cum lingua sua patria JOHN
 of HOLYWOOD, hinc latina, a SACRO LVCO, SACRO BOSCO,
 dictus fuerit, probatum dedit et DOPPELMAYER, p. 45. notaz,
 et III. a KHAUTZ p. 200. 201. B.)

„IV. IOANNES DE MONTEREGIO Francus, Germaniæ decus,
 „artium et philosophiæ magister: in astronomia et omni arte mathe-
 „matica ita excelluit, ut uouus artis princeps ab omnibus haberetur.

„Enunciantur ex ipsius operibus circa uiginti duo; et fere totidem
 „aliorum auctorum opera, quæ ipse edi curauit et præterea uariæ
 „machinæ.

(Ii sunt nimirum indices, quos GASSENDVS p. 87. 88. DOPPELMAYER p. 12. seqq. WEIDLER p. 310 et 311. 322. iam iam imprimi curarunt. B.)


„Post hosce quatuor astronomos enumerat TANNSTETTER
 „alios XIV. Magistros,

(Dedit WEIDLER. 294. III. sed nuda modo nomina. B.)

„qui in gymnasio Viennensi mathesin docuerunt, quos longum esset
 „describere. Sed eos inter ordine duodecimus recensetur hisce uerbis,
 „DOMINVS PAVLVS, in MONASTERIO MELICENSI astronomus
 „et cosmographicus perspicacissimus. Vnde addicimus in illo CELEBRI
 „MONASTERIO iam olim astronomica studia exulta fuisse.

„MELCK. Mëlck. Latine Melicum, Melicium, Melitium, Mel-
 „litium, Medelicium mea dialecto appellatur, oppidum, cum arce ad
 „DANUBIUM in AVSTRIA INFERIORI inter VINDOBONAM et
 „LINCIVM. Vide CVSPINIANVM aliosque geographos et topogra-
 „phos. Hæc satis esse poterunt, sed a MELLICENSIVS PATRIBVS
 „fortasse aliquid amplius ea de re, si rogarentur, subministrari posset.

TAM



TAM prudens, tam benevolum equis non exequeretur consilium?
Exequabar. Et audissime. En quam come, eruditumue tulerim re-
sponsum:

— P. MARTINVS KROFF, Professus et Bibliothecarius
Mellicensis.

S. P. D.

„LITERAE ad Monasterium nostrum die 25. Iulii a Te, —
„datae, 8. Id. Aug. redditae mihi sunt. Quois quod non continuo re-
„sponderim, praeter alia monastica impedimenta NVNTIVS APOSTO-
„LICVS VIENNENSIS in causa fuit: CVI eadem ipsa die nos, no-
„stramque Bibliothecam inuisenti, ac de te colloquenti, utpote nomine
„IPSI noto, obsequiosum me esse oportuit. Nactus nonnihil otii lu-
„bens iam tuis petitis respondeo, atque ita respondeo: ut, si uota tua
„non omnino impleam, id saltem agam: ut ex parte satisfecisse uidear.
„Scribis inprimis, anno 1557. die 3. Septembris GEORGIVM PEVR-
„BACHIVM, et IOANNEM DE REGIMONTE, seu KÖNIGSBERG in
„MONTE NOSTRO MELLICENSI, ECLIPSIN LVNAE TOTALEM
„obseruasse. Id quod mihi a uero tam alienum, quam quod alienissi-
„mum esse uidetur, uel ex eo potissimum, quod monumenta nostra
„altum HAC DE OBSERVATIONE teneant silentium. Sane uetustissi-
„mum apud nostrum HIER. PEZ CHRONICON MELLICENSE, si
„res ita se haberet, haudquaquam id reticuisset, ut quod nullatenus
„tacitum reliquit anno 1456. cometam apparuisse uersus aquilonem.

„QVOD attinet ad D. PAVLVM astronomum et cosmographum,
„tantum abest, ut ille sit MELLICENSIS religiosus, ut ne quidem id
„aevi scriptor apud nos extiterit, qui hoc nomine uocitaretur. Floruit
„quidem apud nos anno 1479. PAVLVS DE PRAVNAV, at nihil is,
„quod ad astronomiam et cosmographiam spectaret, scriptum reliquit.
„Lege sis — *Bibliothecam Mellicensem* 1747. a me editam. Recenscen-
„tur, fateor equidem, in *cathalogo Rectorum Viennensium* nonnulli PAV-
„LI, ut an. 1451. M. PAVLVS DE MELLICO THEOLOGIAE BAC-
„CALAVREVS. 1457. M. PAVLVS LEVEMANN DE MELLICO S-
„SCRIPTVRAE PROFESSOR: ast HI potius sunt MELLICENSES
„nati, quam religiosi ibidem professi. Ad DVVMVIROS GEORGIVM
„PEVR-

C

„PEVRBACHIVM et IO. DE REGIMONTE denuo ut ueniamus, scias
 „uelim, neque ISTOS esse MELLICENSSES. De GEORGI quidem
 „PEVRBACHII uita, rebusque gestis plura nosse si desideras, haud abs-
 „re fore existimo, si legeris libellum an. 1740. Viennae editum, cui
 „titulus: *Scriptores antiq. Vniuersitatis Viennensis, pars prima, saeculum*
 „*primum.*

„EGO interea operae precium me facturum puto, si hic, quae
 „apud nos cod. chartaceo in 4. G. 27. delitefcunt, horum DVVMVI-
 „RORVM monumenta recenscam.

„GEORGII PÜRBACHII seu DE PEVRBACH astronomi cele-
 „bratissimi THEORICAE NOVAE PLANETARYM. Incipit: *Sol habet*
 „*tres orbes* etc. cum figg. manu saec. XV.

„EIVSDEM: Quaestio disputata in quodlibeto per Reuerendum
 „Mag. GEORGIUM DE PEVRBACH. Inc. *Vtrum ex planetarum con-*
 „*iunctionibus et aspectu, sicut ex cometis possit astronomus ueraciter futura*
 „*praedicere? quod sic, patet auctoritate Prolemaei* etc. manu saec. XV.

„EIVSDEM tractatus de instrumentis horologiorum solarium etc.
 „Inc. *Instrumentum ad horas capiendas* etc. ead. manu saec. XV.

„EIVSDEM compositio cytharae horariae. Inc. *antiqua compositio*
 „*quadrantis difficilis esse noscitur*, manu saec. XV.


„EIVSDEM tractatus de usu cuiusdam instrumenti pro ueris con-
 „iunctionibus faciliter reperiendis. Inc. *Cum animaduertissem quoddam*
 „*instrumentum pro ueris* etc. manu saec. XV.

„M. IO. DE KÜNISPERG, Astronomi et POETAE LAVREATI,
 „compositio quadrantis organo Ptolomei similis. Inc. *Describe quar-*
 „*tam partem circuli*, manu saec. XV.


„EIVSDEM IOANNIS forte est compositio horologii in annulo.
 „Inc. *Accipe laminam cuiuscunque metalli* etc. manu saec. XV.

„HAEC sunt, quae in praesentia te scire uellem. Utinam is fuif-
 „sem, qui desiderio tuo cumulate satisfacere potuissem. Vale — et
 „tumultuariam hanc responsonem aequi bonique consulas. Dabam
 „Mellicii 6. Id. Aug. 1757.

OMNINO desiderio meo eleganter satisfacisti R.P. Gratias TIBI
 ob id ago cumulatissimas. VESTRYM tamen nunc erit PERILLVSTRIS
 V. SWIE-



V. SWIETEN, ERVDITISSIME FORLOSIA, et TV DOCTISSIME
A KHAUTZ, ILLVSTRIS SCHEYBII, ut hoc dubium ex ipso MEL-
LICO motum, ubi tam bene informati harum rerum degunt, uictrici
manu uindicetis. Et quis hucusque REGIOMONTANVM mecum POE-
TAM LAVREATVM nouit? Quando? ubi? a quo?



POSTHAEC ab AMICIS beneuolentissime mecum communicata,
monet tempus SECVLARIS nostrae ECLIPSEOS rite notemus tem-
pus. En uerba textus originalis:

MAGISTER GEORGIVS BEVRBACHIVS, et IOANNES DE MONTEREGIO
obseruauerunt in MELLICO AVSTRIAE apud VIENNAM, an
no Domini 1457 ECLIPSIM LVNAE VNIVERSALEM in OPPOSITIONE
VERA SEPTEMBERIS, scilicet DIE TERTIO MENSIS post occasum solis,
Habuit autem in principio more penultime ex pliadibus altitu-
dinem ante meridianam 22 graduum, et Sol secundum nume-
rationem fuit in 48 minutis uigefimi gradus Virginis. In fine
autem more fuit altitudo eiusdem stellae 36 graduum. Haec con-
sideratio fuit in MELLICO CASTELLO AVSTRIE, quod a VIENNA distat
undecim milliaribus Alemannicis uersus occidentem.

Inde	{	MOMENTVM IMMERSIONIS . . .	IO ^b . 24.
		MOMENTVM EMERSIONIS . . .	II. 49.
		MORA TOTALIS	I. 25.
		VERISSIMA OPPOSITIO	II. 6. 30 ^o .
		SECUNDVM ALPHONSVM	II. 14.

SIC habeo pag. 36. in libro, cui titulus: *Scripta clarissimi Mathe-
matici M. IO. REGIOMONTANI de Torqueto, Astrolabio armillari,
Regula magna Prolemaica, Baculoque astronomico, et obseruationibus co-
metarum, aucta necessariis IO. SCHONERI Carolo stadii additionibus,
ii. obseruationes motuum solis, ac stellarum tam fixarum quam erraticarum,
ii. Libellus M. GE. PVRBACHII de quadrato geometrico, Norimb.
1544. 4^{to}.* Hae sunt ipsae istae obseruationes, de quibus SCHONE-
RVS in dedicatione a III. col. b. quod diligentissime munitas in capsula
quadam inuenit.

RARIOR fieri coeperat codex. Hinc laudabili instituto WILLEBRORDVS SNELLIVS R. F. iterum publici fecit iuris in calce libri: *Coeli et siderum in eo errantium observationes Hassiacae, ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS WILHELMI HASSIAE LANDGRAVII auspiciis quondam institutae. Et spicilegium biennale ex observationibus Bohemicis V. N. TYCHONIS BRAHE. Quibus accesserunt IOANNIS REGIOMONTANI et BERNARDI WALTHERI observationes Noribergicae*, Lugd. Bat. 1618. 4. ibi extat pag. 12. a. post Hassiacas. In titulo mentio nulla Problematum XVI. REGIOMONTANI de cometis, quae tamen ultimum uoluminis occupant locum. Sed et hanc editionem non ubiuis deprehendi.

CALCVLO subiecit Borussus Astronomorum LANSBERGIUS in *astronomicarum observationum thesuro* pag. 71. edit. prioris Middelb. 1632. fol. uel pag. 56. edit. posterioris 1653. aut titulo, ad annum, quo opera omnia a ROMANO colligebantur, accommodato, 1663.

DE eadem RICCIOLVS *Ahn.* I. 371. col. a. et b. *Astronomiae reform.* 97. col. a. et b. calculata p. 118.

DILIGENTISSIME REGIOMONTANI uerba retinuit LYCVS BARRETTVS (ALBERTVS CVRTIVS) in *Historiae coelestis libro πρὸς Ἀεγυπτίους* pag. XLII. Aug. Vind. 1666. fol. 2. uol.

DENVO calculo Tabularum subiecit VINCENTIVS WING *Astronomiae Britannicae*, tabularum pag. 320. Londini 1669. fol. nec non SETHVS CALVISIVS *Op. chronol.* p. 889. Frf. et Lipsi. 685. fol.

QVO TANTO certius constet, BVVMVIROS nostros summo iure pro RESTAVRATORIBVS celebrari VRANIAE, uerbo modo tangeremus, quam rarae ante eos fuerint OBSERVATIONES. OBSERVATIONES dico. Si enim historicus, uel THYANVS ipse, scribat: et uita est eclipsis totalis eo anno e. g. Lutetiae, nulla est talis OBSERVATIO.

EX ANNO nimirum p. C. N. 882. ubi ALBATEGNIUS de sc. stellarum Cap. XXVII. obseruauerat aequinoctium autumnale ARACTAE, 19. Sept. hora 13. 15'. nullum habemus rite exploratum usque ad istud REGIOMONTANI 1473. nisi 1290. et 1346. PETRI DE ALIACO, citante REINHOLDO in theoricis de motu octauae sphaerae, p. 240. a. et b. edit. Witteb. 1601. 8. ac 1303. PROPHATII Iudaei, teste BYLLIALDO Lib. II. Cap. III. pag. 70. seq.

VLTIMVM Lunae deliquium 901. eodem ab ALBATEGNIO ANTOCHIAE, Cap. XXX. ergo ad nostram IOBELAEAM OBSERVATIONEM 956. annis, altum silentium.

RECENTISSIME animaduersus erat FALCITENENS SENEX 503. ATHENIS (BVLLIALDVS VI. Cap. V. p. 246. e MSC^{to}. graeco edocet) hinc ad primam a REGIOMONTANO nostro 1461. ROMAE institutam repetitionem 958. annis integris ingens uacuum stupeas.

POSTREMVS lustratus RECTOR OLYMPI 807. ut refert AIMONIVS Monachus. Dum iterum eum aggredederetur NOSTER 1471. STRIGONII, effluerant 664. anni. AIMONIVM citauerat CVRTII *Historia coelestis* pag. XXIX. et XXX. Extat forte in hoc auctore, quamuis ego in eo haud inuenerim. Inueni uero ipsissima uerba: 807. Hoc anno 11. Kal. Febr. fuit lunae XIV. quando stella Iouis per eam transire uisa, in Tomo III. *Scriptorum historiae Francorum* a du CHESNE Paris. 1641. editorum pag. 292. sub titulo: *Annales Metenses*.


NOVISSIME notatus GRADIVVS 509. BVLLIALDVS VIII. Cap. XIII. pag. 327. e MSC^{to}. Iunctum Ioui uiderat iterum GERMANVS 1461. ROMAE, post 952. annorum interuallum.

CORVSCANS CYPRIA VIRGO extremum determinata fuerat 510. eodem teste BVLLIALDO IX. Cap. VI. pag. 346. Amplectebatur pulcherrimam PAPHIAM IOANNES 1461. ROMAE, quae 951. Apollinis reuolutionibus mortalium neminem suo dignata erat fauore.

FALLACI PENNIGERO olim 141. tentato, ALEXANDRIAE ab immortalis nominis PTOLEMAEO, nemo unquam feciales de indicendo miserat bello, donec tandem 1481. NORIMBERGAE, SOLERTISSIMVS B. WALTHER de nouis, quo constringi ualeat catenis, post 1340. Phoebi periodos, felici ausu. iterum labore incipiebat.

LUNAE ultimam obseruationem extra eclipses factam docet 509. ATHENIS BVLLIALDVS III. Cap. XII. Prima iterum debetur REGIOMONTANO, 1462. ROMAE, elapsis nouem seculis cum 53. annis.

CIRCA FIXAS tam uasta spatia non inuenio. Eruditissimus enim D. BERNARD *Phil. Transf.* 158. citante FLAMSTEEDIO pag. 31. 32. Tomi III. *Hist. Coel. Britt.* mentionem facit 23. stellarum, quarum longitudines et latitudines curate uestigauit anonymus 750; ABOLCASIM 938; IOHANNIDES AEGYPTIVS 996; CHRYSOCOCCATHIIS; NAS-



NAASSIRODINVS 1233; ABDOLGALIL 1261; ANONYMI 1346.
1364; SAHEBODIN 1436. quo natus PEYREACHIVS; et OLOG
BEC 1437.

NEC IN CHINENSIVM factis circa fixas plane dormierunt. Teste
R. P. SOUCIET *dans ses Observations faites à la Chine* Tom. I. pag.
72-75.

OMNIVM HARVM OBSERVATIONVM, a REGIOMONTANO
felicissimo ausu redauspantium, PRIMA ergo HAEC NOSTRA
est ECLIPSIS, QVAE ansam suppeditavit scribendi. HAC quasi
VRANIAE SACRIS initiati nostri, HAC quid valerent, HAC QVID
molirentur, aperiebant. Quid iustius, O IVSTI rerum AESTIMA-
TORES! quam ut TRIBVS EX CELEBERRIMA, EX INVIDENDA HAC
NOCTE PRAETERLAPSIS SECVLIS,

Astronomus loquitur, ueniam date religiosi,

pietissima mente SVMMO referamus gratias NVMINI, quod ex ISTA
NOCTE Astrorum scientia exulta, quod DERHAMIIIS occasio exhibita,
Astro-Theologia DEI T. O. T. Q. M. laudes ad coelum efferendi.
Quam maluissem PIIS MANIBVS DOCTISSIMORVM VIRORV
ECLIPSI proxima LYNARI, 30. Iulii, itidem TOTALI solenniter
parentare! Quanta animi hilaritate eam obseruassem! Quanta et cura
in corrigendo per triduum horologii tempore exactissimo a me iam ad-
hibita! sed nos infausto natos fidere! obtabar inuicta coeli inclemen-
tia, et non nisi haec duo per nubes pluuiasue, tubo $8\frac{1}{2}$. pedum mi-
crometro Hireano superbiente, momenta, nec ea quidem certissime
annotare licuit, quod fuerint

31. Iul. 1^h. 21'. 22". lunae partes lucidae = 16'. 49".


I. 26. 40. 20. 21.

Hinc non factio, sed nudis modo uerbis HVIVS SECVLARIA CELE-
BRARE oportet INCLVTAE NOCTIS. ISTA tamen NOX III. Se-
ptembris, caderet stylo nouo in XIV^{am}, qua

Sidere uirgo tuo Bacchum September opimat. m)

ET HIC foret IPSISSIMVS DIES FESTVS, albo lapillo notan-
dus. Fateor tamen, nec erubescendo fateor, O AMICI! uincit AMOR
PATER-

m) AVSONIVS Eclogario, n. 382. g. edit. in uf. Delph. 1730. 4. m.



PATERNVS AMOREM ASTRORVM. DIE ETENIM NONO, die qua

Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentem, n)

DIE ergo FERÈ MEDIO inter 3. Iuliani, et 14. reformati styli, decimum quintum aetatis implet annus unicus, DIVAE qui MATRIS imago

ADOLPHVS IVLIANVS BOSE

nostras, dicatus arti salutari. Huic totam orationem in summa tradidi confusione. Hanc tamen a capite ad calcem in ordinem redegit, et deis amorj paterno! Patri suo, felicem patrem! duodecim minimum errores detexit. Seruet Te DEVS! Protegatis PATRONI! Vos! O AMICI! iuuetis. Hunc aequè astrophilum, aequè uiuacem, et, laus DEO IMMORTALI! aequè Saxonem quam ego,

Hannibal ut fiat, iustus Humilcar ero,

orationem secularem in VENERANDOS NOSTRAS COELIGEROS ATLANTES, G. PEVRBACHIVM et I. REGIOMONTANVM, ipsissimo suo natali habiturum gratiosè, beneuolè, amice, tolerare, audire, animare uelitis, vos,

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,

ILLVSTRISSIME COMES,

PERILLVSTRES LIBERI BARONES,

PATRES CONSCRIPTI,

VIRI OMNIYM ORDINVM HONORATISSIMI,

CIVES ACADEMICI GENEROSISSIMI, PRAENOBILISSIMI,

POLITISSIMI,

qua par est reuerentia, candore non fucato, nostis animum, inferuicendi studio summo, nostis Bofium, ex animo rogamus et obtestamur.

n) *ibid.* 372. 10.



SALVE FESTA DIES! MELIORQVE REVERTERE SEMPER!

Salue festa NIGRAE NOCTIS PLACIDAE MORA salue!


Salue PEVRBACHI VENERABILIS VMBRA BEATA!

Salue FRANCE SAGAX! uireatis cespite molli.


Tv collis salue MELLICI, Tv uiridantes

Perpetuus trudas flores, gemmansque perenna.

Tvque



TVque dicata COHORS Musis, BENEDICTA uirosum
 Progenies, studiis celebranda per ardua perge.
 AVSTRIA TV VICTRIX scandas; tegat AVSTRIA FELIX
 Afrorum Sobolem, fuit haec TIBI gloria semper.
 TEque, VIENNA POTENS! dextra tegat OMNIPOTENTIS
 NYMEN. IMAGO DEI, terrae THERESIA! NYMEN,
 IVSTA, QUIETA, FIDES CUI CONSTAT et INTEMERATA,
 PACIFERAQVE MANV RAMVM PRAETENDIS OLIVAE,
 Sanguineis palmis queis *Mustafa* saeuit anhclans, 1683.
 TV THERESA *dolos* detestans *Machiaueli*,
 TV tege LVTHERVVM, frangasque *la Mettrie* et *Hobbes*.
 IYSTITIAQUE TVA uernans, CLEMENTIA cum TE
 Euincat MAGNAM, TV FLORE SECVLA SERA!
 SECVLA SERA VIRE RVSSORVM MAXIMA IVNO.
 Nec dedit Historicus, PAR IMMORTALE! SORORES
 Vnquam tam CELSVM, tam DIGNAS orbe poloque.
 FRANCISCVS CAESAR, conculces imperiosos
 Foedifragosue, PIVS, studiis sis CLARVS APOLLO.
 TV LODOIX! adamat populus QVEM fidus, ADESTO!
 Quid tardas? poscunt RVTAE; dent LILIA fulmen!
 TE NVRVS, ET SAXO, TE PAX WESTPHALICA poscunt.
 TVque PATER PATRIAE, IYSTVS, nec fallere mille,
 Mille per aena semel qui scis, QVEM CANDIDA VERI
 CANA SACRIQVE FIDES, uel et hosti reddit amandum,
 DIRECTOR CARVS, uigilans pro CORPORE NOSTRO,
 Quicquid deblateret mendax iecur. (inuide fremde!)
 TV VIREAS aequus! REDEAS MOX VICTOR opimis.
 Moxque TRIVMPHALI RVTA, HROX ENSE CORVSCES.
 Exclamet mecum TIBI constans turba fidelis:
 SALVE FESTA DIES! MELIORQVE REVERTERE SEMPER!



Widenberg, Diss., 1756-58


ULB Halle 3
003 608 042



456







ECLIPSEOS LVNARIS

*c*1₂ CCCCLVII. D. III. SEPT.

QVO

COELESTI INDVLGENTIA.

NATALIS VRANIAE
TERCENTESIMVS

FELICI AFFVLGET SIDERE
SECVLARIA

DIE ♀ IX. SEPTEMBRIS H. L. Q. C.
CELEBRANDA INDICIT

SIMVL

AD AVDIENDAM ORATIONEM
PEVRBACHII ET I. REGIOMONTANI
OBSERVATORVM EIVS
PANEGYRICAM

HVMANISSIME INVITAT

GEORG. MATH. BOSE



WITTEBERGAE

LITERIS SCHLOMACHIANIS.

8

1757

1757

